

ANDR. KRAG

THESES PHYS., IN QUIBUS INSTITUITUR RECONCILIATIO INTER DUCEM POPULI ISRAELITICI MOSEN ET PHILOSOPH. PRINCIPES DE RERUM NAT. PRINCIPIIS, SOLIS VERBIS DISSENTIENTES. HAFN. 1592













BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS



THESES PHYSICÆ:

IN QVIBVS INSTITVITVR RECONCILIATIO,

Inter Ducem populi Israëlitici Mosen & Philosophorum Principes,

DE RERVM NATVRALIVM PRINCIPIIS, SOLIS verbis dissentientes.

Disputabuntur ad Diem Maji XIII.

PRÆSIDE

AND. KRAG. RIP.

Resp:

NIC. PASCHASIO C.



HAFNIÆ,

Excudebat Matthias Vinitor.

ANNO DOMINI

CIↃ. IↃ. XCII.



ETHNICORVM PHILO-SOPHORVM SCRIPTA A NOBIS LE-genda ſunt, non ut cognitionem Veritatis tanquam ex fonti-bus ab iis petamus: ſed ut perſpiciamus quouſq; hu-mana Ratio in rebus divinis progrediatur.



I.

Missis ænigmatibus, fabulis, figuris, charactéribus, numeris, potiùs rerum naturalium compositionem tenebris inuoluentibus, quàm obscuritati lucem adferentibus: ex S. S. Scriptura rerum naturalium principia & caussas ex quibus componuntur deducere animus est. Hæc enim prora & puppis erit omnium scientiarum & sententiarum. Hæc regula Lesbia, à qua opiniones declinantes tanquam vanæ, fallaces, perniciosæ damnabuntur.

II.

Vestigia autem solius Mosis odorati, in ea verba intendamus, quibus primo capite Geneseos Principiorum obscurum mysterium nobis patefacit. In primi diei creatione inquit: In principio creauit Deus cœlos & terram, & terra erat solitudo & inanitas, & caligo super facies abyssi: Et Spiritus Dei ferebatur super facies aquarum: & quæ sequuntur ad finem capitis.

III.

Ex hac clarissima & certissima Mosis voce eliciuntur duo rerum naturalium Principia prima, Materia & forma: vt Efficiens de industria prætercam, vna Dei appellatione significatū.

IV.

Materiam suppeditat, inanis terra & abyssus: quæ tertii diei creatione in duas diuersæ naturæ dissociata est partes: quarum vna, arida seu terra, altera mare est appellata: ex quibus postea res naturales creandæ prodière.

V.

Formam prodire jubet efficientis jussus & vox potentissima: quæ etjam dicto obsequens sine omni mora res naturales informat, & iisdem vim ac potestatem, qua etjam hodierno die sustentantur ac fruuntur, donat.

VI.

Vires enim injecit Creator, & primò miraculosè omnia producta sunt, sine semine ullo & absq; sole: cùm sol post rerum multarum productionem sit creatus.

VII.

Eadem principia si inquisita fuerint in quotidiana rerum propagatione & conservatione, in semine delitescentia invenientur: cuj eodem tempore communicatum est officium procreandi à se simile, sive in terra, sive in aqua, sive etjam in aëre repositum sit.

IIX.

Sunt enim in semine Materia & Forma, ex quibus tanquam caußis constituentibus oritur, propagatur, conservatur quicquid rei naturalis appellationem meretur: forma in materiam agente, non quidem per violentiam, neq; quibusdam tanquam divulgatis vectibus eam agitante, sed rationem seminariam & cœlestem adhibente.

IX.

Res autem hoc pacto productæ in Elementis tanquam matricibus suis conservantur, & humore quodam nativo & vivifico foventur & aluntur. Elementum autem tum munus

suum

suum obit & functiones perficit, dum semina sibi demandata fovet, partum promovet, & fœtum necessario alimento recreat, sustentat, confirmat.

X.

Nisi enim hæc ratio seminalis & idealis, multiplex & varia, seminis appellatione comprehensa, Elementis esset insita & inspersa, nunquam variæ rerum species ab uno eodemq; Elemento proferrentur: sed omnia ex uno producta Elemento unius essent speciei. Quare etjam hæ vires Elementis concessæ potiùs videntur eorum vita, quàm ab Elementis vitam consequi.

XI.

Hinc etjam fit, quod semen unumquodq; sibi ex suo Elemento alimentum conveniens attrahat & quærat: ex quo postea colores, sapores, humores, odores, qualitates & quantitates omnes ad speciei propagationem necessariæ, prudentis naturæ operâ, & accedentibus caussis coadjuvantibus conficiuntur: velut effecta ex propriis caussis.

XII.

Ab hac doctrina Mosaica ad Philosophos gentiles progressuri, solummodo sustinebimus huc revocare illorum principia, qui sapientiores in Philosophia sunt habiti, & solis verbis à Mose dissentire videantur. Tales sunt Plato, Aristoteles, Hippocrates, Galenus, & qui in eorum sunt sectatione.

XIII.

Divinus Plato Deum, Materiam & Ideam agnoscens Principia, Mosi sese in universum conjungit, significatq; ex pri-

meæ vera veritate hanc doctrinam sibi communicatam. Nam per Ideam intelligit formas rebus divinitus ingeneratas & Materiæ Mosaicæ impressas, non rerum species & simulachra in aëre volitantia: etjamsi nonnullis in locis discipulis se accommodans doceat eas priùs in animo artificis fuisse conceptas, & ad hanc imaginum conceptionem res productas, & iis vestigia divina impressa.

XIV.

Materia Platonis, ut Mosis Abyssus, est subjectum & mater, ex quo omnia fiunt: rudis dicitur, indigesta, confusa moles, ἔρεβος, obscura, tenebrosa, inconspicabilis, &c.

XV.

Aristoteles magnâ industriâ & subtilitate tria rerum naturalium investigavit Principia, Materiam, Formam, Privationem: quæ Physicè explicata non in universum in Principia Mosaica impingunt.

XVI.

Materia Aristoteli est Principium incognitum nisi per analogiam ad materiam rerum artificialium, non est Ens sicut hoc aliquid, cum formâ præcipua caussa est rerum quæ fiunt & transmutantur: partim est Ens, partim non Ens, &c. Hæc Aristotelis sententia à nostri Prophetæ descriptione Materiæ non est absimilis, appellantis eam inanem, vacuam & abyssum, antequam suis flosculis condecoretur.

XVII.

Forma dicitur ab Aristotele Ratio, exemplar, essentia rei, divinum quiddam & bonum appetibile, qua advenientе cessat

genera-

generatio. Hisce Formæ appellationibus quid aliud designatur quàm rerum creatarum, immissa forma divinitùs, absolutio & perfectio: cùm Forma res divina aliunde progredi & deduci nequeat.

XIIX.

Privationem, quæ Aristoteli est principium per accidens & non Ens, formæ contrarium, à Mose designatam concedemus: si modò benignam interpretum explicationem non invitus Aristoteles admiserit. Illi enim per Privationem quod Moses per Tenebras intelligunt, asserentes nihil ex Privatione fieri tanquam caussâ & principio, sed post Privationem. Nihil enim ex mera Privatione, quales sunt Tenebræ, fieri potest: sed in eo loco & ex iis rebus, in quibus densæ Tenebræ imperio potiebantur, jussa est Lux splendere & nasci. Sic etjam ex nihilo creavit Deus cœlum & terram, non tanquam nihil esset materia: sed quum omnia nihil essent, Deus omnia esse aliquid voluit.

XIX.

Hippocrates & Galenus mundum ex quatuor Elementis igne, aëre, aqua, terra constituentes: & deinde hominem ex iisdem, & totidem humoribus, sanguine, pituitâ, atrâ & flavâ bili, intra Medicorum cancellos sese continent, Principiaq; Mosaica non damnant, quorum alibi sæpius meminerunt. Hisce enim Elementis palàm faciunt inesse homini & rebus mundanis aliquid, partibus & Elementis mundi tantâ naturæ familiaritate & necessitate respondens, ut sine eo consistere salubria nequeant.

Quid

XX.

Quid quòd, illi principia naturalium prima non perscrutabantur, sed ea saltim quorum traditione ad caussarum, symptomatum, loci affecti & deniq; ad morborum ipsorum cognitionem & curationem diducerentur.

XXI.

Testimonio est ipse Hippocrates, qui in libro de structura hominis ita loquitur: Mundus quatuor ex Elementis consistit, igne, aëre, terra & aqua: calido videlicet, frigido, humido & sicco. Iisdem ex Elementis quatuor totidemq; humoribus & homo consistit: Sanguine scilicet, pituita, flava & atra bili. Et sanguis quidem aëri, pituita aquæ, flava bilis igni, atra terræ similatur, &c. Item initio lib. 4. de morbis. Habet autem & vir & mulier quatuor species humoris in corpore à quibus morbi fiunt, qui non à violentia aliqua fiunt.

XXII.

Atq; hoc pacto factam esse Philosophicam reconciliationem inter Mosen & Philosophos gentiles spes est. In re autem obscura quia de multis dubitare cogimur, à doctioribus placida communicatione edoceri desideramus.

FINIS.

